

*de gigantibus et populis giganteis.*

II h  
37

QUOD. DEUS. OPTIMUS. MAXIMUS. FELIX. FAUSTUMQUE. ESSE. JUBET.  
**REPUBLICÆ. ET. ATHENÆO**  
 MAGNIFICI. ATQUE. AMPLISSIMI  
**SENATUS. GEDANENSIS**  
 AUCTORITATE  
**ELOQUENTIAM. ET. POESIN.**  
 DOCENDI. PROVINCIAM  
 IN. ATHENÆO. NOSTRO

V I R O  
 CLARISSIMO. ET. DOCTISSIMO

# CAROLO BENEDICTO COSACK

CANDIDATO. MINISTERII. I. A. C. REVERENDO  
 IN. AUDITORIO. MAXIMO

A. D. XIX. JUL. A. C. MDCCCLXXIV.  
 SOLENNI. RITU. TRADITURUS.

PATRES. URBIS. HUJUS. CONSCRIPTOS  
 OMNESQUE. BONARUM. LITTERARUM. FAUTORES  
 QUA. PAR. EST. REVERENTIA. CULTU. STUDIOQUE

INVITAT

JUVENTUTEM. VERO. STUDIIS. IN. ATHENÆO. INGENUIS. OPERANTEM.  
 PERAMANTER. CONVOCAT.

**GUILIELMUS. PAULUS. VERPOORTENNIUS**

S. S. THEOL. D. ET. PROF. PUBL. ATHENÆI. RECTOR  
 ET. AD. ÆDEM. S. S. TRINITATIS. PASTOR.

*G E D A N I,*

TYPIS. THOM. JOH. SCHREIBERI. SENATUS. ET. ATHEN. TYPOGRAPHI.





Animadvertisimus in plerorumque animis infidere vetustatis nimiam  
ſæpe venerationem fenibusque præfertim in ore illud Horatii  
eſſe; / Etas parentum pejor avis, tult nosnequiores, mox da-  
turos progeniem nequiores. Quod hi de rebus in genere morum intelligent, id  
ab aliis non ad artes tantum, quibus vitæ cultus continetur, sed ad ipſas etiam na-  
turæ molitiones accommodatur, velut si hec ſenio nunc effœta in elaboratione  
ſatificeret; idque in corporibus maxime hominum cerni poſſe nobis perſuadere vo-  
lunt. Diligentissimus naturæ perſcrutator, Plinius hanc ei labem adpergit, Ho-  
merique auctoritate, tum rerum confideratione fententiam defendit; In plenum,  
inquit, cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum obſervatur:  
varoſque patribus proceriores, conſumente ubertatem feminum exuſione, in cu-  
jus vices nunc vergat ævum — Jam vero ante annos prope mille, Vates ille Homer-  
rus non ceſſavit minora corpora mortalium, quam priſca conqueri. (Hist. Nat. L.  
VII. c. 16.) Eadem auctoritate nititur Juvenal (Satyr. XV. V. 69.)

Nam genus hoc vivo jam decrēſcebat Homero  
Terra malos homines nunc educat atque puſſilos.

Eſti vero cum aliis argumentis, tum vetuſtissimis conditoris ſuperſtitibus, in  
quiibus marmorea Pyramis / Egypci fandapila eminet, communem hominum  
menſuram non excedens, opinio haec erroris eſt convicta, ac inaneſ de decrepita  
naturæ ætate eſſe querelas, Jonſtonus de naturæ conſtantia, demonſtratum dedit;  
non defunt camen adhuc, qui prima orbis ætate vel omnes vel magnam hominum  
partem portentosæ fuſſe proceritatis, opinantur. Quibus praeuent Judæi, pri-  
mos parentes eorumque filios Cainum, Abelem, Sethum reliquos, in ingentem  
magnitudinem omnes a natura fuſſe excitatos, ſciantes. Haec, quæ alio nullo  
præterquam Judaico ingenio, in vana prono & iuſanorum viſis fidem facile haben-  
ti, digna ſunt, quæque a Christianis omnino, ut animo adſpernenda, ſic auribus  
quoque refuenda, a nonnullis eorum ſunt temere arrepta. Ita in vanam hanc  
opinacionem incidit vir & eruditio[n]e & ingenio excellens Jofephus Medus (The  
Works in Quart. London. 1648. p. 451.) qui, homines ante eluvionem terram  
incolentes, in coloſſeām proceritatem creville, decernit, atque hanc cum ætate  
hominum, conſequente tempore defloruſſe; Deum tamen ad Davidis usque æta-  
tem, quasdam Gigantum familias ſupereſſe voluſſe, ut in æquum redactis fere uni-  
verſis, id quidem vicifſitudinis rerum humanarum nobile exemplum eſſet, & reli-  
quorum ſtatura conſervata, quæ decus avitum referret, priſtinae majestatis fu-  
gitiua memoria utcumque perpetuaretur fidesque priſtini corporum humanorum  
moliibus apud posteros fieret. Nec ab hoc errore ſibi cavit Auctor recentissimus  
(le Theisme; Effai philosophique. London 1774. in Göttingischen Anzeigen XVI.  
Stück. p. 129. 1774.) qui exaggerat ingenio ſuivim facultatemque, oblata animo  
uifa in omnem partem verſandi, in hac fententia ornanda demouſrandaque exer-  
cuit. Cuius opera eatenus in laude verſatur, quoad eam in vindicanda ſacrae  
vetuſtatis auctoritate posuit, adhibitusque argumentis efficit, nullius populi ac Ju-  
daici ſcita eventaque, cum natura Dei conditarumque rerum aequæ congruere. Quis  
vero acumen in prodigioso hoc ingenio non diſideret, cum Judæorum fabulum  
coloribus quibusdam pingere uſcipit, ac, quaſi procerior hominum ſtatura, ex de-  
currente tum in plura ſecula eorum ætate apta nequaſe eſſet, illam ex hac vult  
demonſtrare.

Cum autem, id, de quo quaeritur, in facto poſitum ſit, ſuſ ſenque ſenſus do-  
cet, non tam ratiocinationibus, quæ identidem nobis fraudem faciunt, quam teſtibus  
fide dignis cauſam hanc eſſe agendam, a quibus tamen deferuntur, quicunque huic  
opinioni dediti ſunt. Moſes enim, quem eſſe unum ſcimus, qui de vetuſtissimis  
rebus, omnem historicorum aliorum memoriam antegrellis, exponit, ita de homini-  
bus, terram ante feralem eluvionem habitantibus, commemorat, (Gen. VI. 4.)  
ut cum Gibborim appellat, quos modo Nephilim dixerat, perspicue declarat, ſer-  
monem ſibi eſſe non de gigantibus, fed de viris a fortitudine facinoribusque cele-  
bratis nominisque famam quocunque modo conſequutis. Imperite profecto qui-  
dam ad exploratores terræ Canaan a Moſe emiſſos conſugientes, in teſtificatione  
hominum

hominum perfidiosorum vanissimorumque (Num. XIII. 33. 34.) adjumentum præsidiumque fuisse opinioni, Nephilim esse Gigantes, paratum esse putant. Moses potius est audiendus, qui excellentissimos ex Nephilim, videlicet Enakim (Devr. IX. 2.) non fuisse alius conditionis quam Rephaim (Devr. II. 20.) innuit, de quo vocabulo mox docebimus, ei giganteæ staturæ significationem haud inesse. Validioribus praefidiis munita sententia esse videtur, quæ antiquissimis quidem temporibus, sed demum post diluvium gentes colosseas ponit. Hæc, qualis sit & quatenus cum veritate congruat, nunc cognoscamus.

Ex omniaibus argumentis, quæ ad fidem huic opinioni adstruendam, colligi possunt, vix validius ullum reperias, quam quod ex constante de gigantibus fama ac ab ultima vetustate accepta petitur; quæ cum non in uno populo percrebuit, sed Europa, Asia Africaque pervagata, in ipsam veteribus incognitam Americanam penetravit, totius generis humani consensu eam perhiberi est existimanda, atque hoc ipso probanda esse videntur, quæ de populis colosseis veterum memoria narrat. Cui non dictus Olympus, Pelion & Ossa, montes Titanomachia memorati? quam ad perpetuam memoriam Athenienses Peplo Minervæ intexere solebant; ut Virgilius (in Poematio quod Ciris inscribitur v. 20-30.) cecinit;

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnae  
Magna giganteis ornantur pepla tropæ.

Ab Ægyptiis Graecos haec portenta acceperile, non inscite ex eo conjicit Huetius (Dom. Evang. p. 107.) quod tradit Plutarchus de Iside & Osiride, quæcumque Graeci narrant de Gigantibus & Titanibus nihil ab iis differre, quæ apud Ægyptios de Osiride & Typhone celebrantur. His similia in suis memorioribus Americani (Recherches philosophiques. T. I. p. 310.) qui alteram historiæ patriæ periodum, ab eluvione ad excisionem gigantum protendunt. (Joseph Torribia Vorberichtung der Naturgeschichte von Spanien. Halle 1773.) Atque sic de fama quidem sed non æque de rei veritate conitat. Quem enim fugit; quam sollicitè plerique populi eventus rerum insigniores integumentis involverint, quibus majorem vetustati auctoritatem apud alios conciliarent? Id quidem in nostra causa evenisse suspicatur Abbas Pluche, existimat his antiquorum commemorationibus insignes orbis nostri conversiones, quibus priorem formam exuit et in diversam a priori repente fuit mutatus, adumbratas esse. Mittimus hanc conjecturam, quæ, quoniam causam afferat quorundam, ut Ægyptiorum tantum, ingenii propriam, impeta est ad explicandam rem, omnibus cuiuscunq; fuerint ingenii, communem, ac idcirco a verisimilitudine abhorret. Veritatis propius accedit alia, que originem famæ ad ossa, quæ gigantum dicuntur, identidem humo effossa, refert. (Défense des Recherches philosophiques contre le Pernet p. 174.) Cum enim, qui ea eruebant terra, vastiora prolixioraque suis cernerent eaque pro reliquis fui generis animantium haberent, facile cogitatio his fuit injecta, retroactam ætatem praefente excellentiores humani generis foetus edidisse. Atque hanc ita admittimus si adjungatur alia; quosdam nomine, in quo erat magnitudinis quedam significatio, primo fuisse appellatos, quod longo intervallo temporis ab illis disjuncti, de praecelsa corporis statura, vel ambiguitate vocis, vel suomet ingenio decepti, intellexerint. Nulli vero homines improbatissimo usque, ut alios hac omnes vincent, processisse videntur, præter illos, quorum sceleris supplicio eluvionis, terram omnem vastantis, expianda duxit divina justitia, quo omni consequenti ætati formidines filium incommodorum atque exemplum periculorum proponeretur. Hæc monstrata, nulla virtute a vitiis redempta, propter vitiositatis vastitatem & amplitudinem, magnos dixit posteritas illi proxima, ac nomen cum eventu scelerum vindice, ad omnem sequentem ætatem progeniemque universam primi post diluvium humani generis fatoris, transmisit; ita tamen, ut quo hæc longius a prima origine recederet, hoc exciperet amajoribus de his commemorata magis interplata fortasse & figurantis, quibus delectari ruditæ ætas solebat, perspersa frequentius. Quo factum est, ut sibi falsam persuasione induerent, homines olim immanis staturæ in rerum fuisse natura, quam adjuvabant ingentia visu ossa, humanorum speciem præ se ferentia, ac ubique fere terrarum, nudato terræ a fosso-ribus fini, visentibus oblati.

Vestigia sensus nominis hujus odoratus est Macrobius (Saturnal L. I. c. 20.) de Hercule verba faciens; *ipse*, inquit, *creditur & Gigantas intermixi*, *cum coelo propugnaret, quasi virtus deorum*. *Gigantas autem quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impianam gentem deos negantem, & ideo estimatam deos pellere de celesti sede voluisse?* Horum pedes in Draconum volu-

*mina definebant. Quod significat nihil eos reclum, nihil superum cogitasse, tuis vitæ eorum gressu atque processu ad inferna mergente. Quales mores Ovidius Metamorph. L. I. Fab. IV. v. 144. seq. describit;*

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,  
Non ficer a genero: fratrū quoque gratia rara est.  
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:  
Lurida terribiles miscent Aconita novercæ.  
Filius ante diem patrios inquirit in annos  
Viæta jacet pietas, & virgo cæde madentes  
Ultima celestum terras Astraea reliquit.

Nec sophocles apud Strabonem (L. IX. p. 270.) per gigantes, aliud quam inquietum & ad perturbanda bene constituta natum genus, intellectissime videtur, Tellurem ad Austrum forte, Pallas obtinet  
Quæ spectat, asper & Gigantas educans.

Constat enim Palladem Aegei Fratrem quinquaginta filios habuisse, quos postea res novas molientes Theseus' Aegei filius interfecit. (Banier *Erläuterung der Götter Lehre* T. IV. p. 688.) Simili loquendi ratione utuntur veteres, dum homines qui alii sunt tedium & vehementer molesti, Athones dicunt item Hamaxieos, a montibus praecelsis, altero, quia gigantem sua mole premit, altero, quia ob ingenem celsitudinem, umbra navigantibus fit molestus. Eandem potestatem Hebrei voci Rephaim subjecisse videntur, quam LXX. Interp. per γρεβελς γρεβεις, ατεβεις reddunt. Si enim notationem vocis species, notio debilitatis & dissolutionis ei ineft: atque hoc duplice intelligi potest, vel eo sensu quod, qui Rephaim perhibentur, robore valentes, terrendo & subigendo alias lassos ac debiles fractosque reddunt, vel quod ipsi remissi viribusque defecti sunt. Utroque significatu in Scriptura S. occurrit. Ac priori quidem sumi persuadet nobis Deut. II. Ammonites enim Rephaim a se expulso Zamzumim (v. 20.) a movendo vel robo-re, & Moabites eosdem Emin (v. 10. II.) a terrore, quasi terribiles, qui vel ipso vultu vel bellacæ virtutis fama terrorem alias inquietarent, appellabant: Atqui veteres solebant peregrina nomina, aliis exprimere, quae ejusdem cum illis in sua lingua notionis erant; quod multis exemplis demonstravit Huetius. (Dem. Ev. p. 272. 173.) Que Moës (v. 10. & 20.) addit *fuisse populum magnum multum & excusum*, ad statum populi commode retuleris, qui hanc commendationem a bene & sapienti ordinata republica merito ducit, & si fe ipso nittitur, ut alios metu continere & a lacefendo absterrere possit, facile praecones virtutis suæ alias invenit. In quem sensum Deus ipse excelsus dicitur. Altera significatio in locis obtinet, in quibus orco devoti hoc nomine perhibentur, & status, postmortabilitatem depositam poenam luentium, *habitatio Rephain* dicitur Hiob. XXVI. 5. Prov. II. 18. IX. 18. XV. II. XXI. 16. que loca exposuit Jofep Medus (L. C. p. 94-97.)

Famam de gigantibus excipiunt monumenta verustissimorum populorum, quæ ejusmodi esse a multis putantur, ut non fallaci indicio prodant, molitores horum, & viribus & proceritate nostris hominibus longe superiores fuistæ. En! adiunt Gigantum sepulcra in Suecia (Dalin *Geschichte des Reichs Schwedens* T. I. 44) in Marchia yafissima tumulorum laxa in orbem dispositorum (Beckmans *Historische Beschreibung der Chur Mark Brandenburg.*) Scopelismi in trætu Helmstädtensi a Corringio descripti & pro molibus giganteis habiti (de antiquo Helmst. statu) & prodigio sum Britticum Druidarum templum (Abry, a temple of the britisch Druides by William Stukeley.) Jod. Herin Nunningius (Monumentorum Monasteriensium Decuria prima) commemorat gigantum leſternia & strata vel portius sepulchralis tumulos, ex silicibus opere prodigi pleno, exstructos, qui in Megapolitano ducatu dicuntur Wandalorum coemeteria. Turrim Babylonis, omnium ore jaētam, a gigantibus, qui diluvium effugient, exstructam fuisse, refert Alexander Polyhistor apud Eusebium. (Præp. Ev. L. IX. c. 17.) Muros Mycenarum & Tyrinthiis in operibus horum cœsent veteres, quia exstructi sunt ex incultis & horridis lapidibus, quorum singuli ea magnitudine esse dicuntur, ut ne minimus quidem eorum loco moveri poslit jumentorum bigis. (Pausanias L. II. p. 123. 596.) Mycenarum muri, Strabonis jam ætate, omnino disiecti erant & dissipati. Ex alterius urbis ruderibus, partes non exiguae muri relictaæ superfunt, que de admirabilitate operis integræ testantur. Speculatus est eas cum cura Moncaeus & Abbas Fourmontius, quos tefes oculatos excitat Freretus. (Defence de la Chronologie contre le Système Chronologique de Newton p. 157.) Qui (p.

(p. 275.) non in se conjectat; Da<sup>c</sup>tylos, quibus ex structionem horum murorum plurimi veterum tribuant, Inachi fuisse comites, & principes coloniarum orientalium populorum in Europa sedem figentium; ipsum vero Inachum ex ea gente ortum, quae in Scriptura Enakim dicitur, cum Inachi nomen singulare, plurium numero in Enakim effertur. Judaei in Gemara ad Sotam (apud Wagenseil p. 716. 720.) Enakim dictos fuisse autem, quod ob proceritatem, sole, torquis in modum, cingerentur; atque sic Enack esset appellativum. Verosimile tamen est nomen hoc origine proprium fuisse ac postea demum in appellativum transisse, quoniam in hebreæ veritate non tantum *bne Enak*, vocabulo *bne* periphrasis faciente, sed etiam *Yelite Haanak* (Jof. XV. 13.) dicuntur. Ex hostium spoliis insignem forte torquem aureum auctori gentis circumposuerat sibi, unde torquatus dictus, quod nomen tempore consequente ex illuſtri hac stirpe profectis habuit, ac, ut solet interdum fieri, inflexa paulum significatione, cum illis, qui vel virtute bellica celebres vel prudente consilio ad alios regendos praestantes erant, quasi digni, qui ob has virtutes torque aureo redimuntur, communicatum fuit. Vestigia hujus significatus apud Graecos Cyprios & Salaminios, Phoenicie oris proximos, & ab Inacho comitibusque ejus subactos, cernere licet, qui Reges suos *Aavklas* & principum uxores *Aavklas* dicebant teste Iocrate (Orat. funebri Evagoræ p. 327. edit. Cantabrig. 1686.) Ut cunque de effectoribus harum molium existimes, eos falli certum nobis est, qui ex amplitudine harum, ad vastitatem corporum illorum, argumentando procedunt. Agreftia ingenia produnt haec moles nec ad elegantiam exasciata, quæ substructionum dignitatem ex magnitudine magis, quam ex scientia aedificandi ratione aestimabant. Neque tamen quantumvis rudia fuerint, ita ab omni arte destituta fuisse credibile est, ut nullis machinis adjuverint opus, lacertisque solis efficerint. Has si etas consequens neglexit, existimans his nihil sibi amplius opus esse, excogitato commodiore & elegantiore exaedificandi modo, atque sic disperire passa est, ut alia veterum multa inventa egregia in desperditis nunc censetur; ne nos vehementer erramus, si opinemur, manu omnia nec ullius instrumenti ope adjutos, haec opera effecisse veteres.

His destructionibus, quæ, ut fert multorum opinio, ad memoriam giganteorum hominum proceritatis pertinent, succedant narrationes cum veterum tum recentiorum de populis colosseis. Ac ex veteribus Homerius Laetrigonas in hunc censem refert; *Gigantum*, inquit Pausanias (L. VIII. p. 460.) quidem Homerius nullam omnino in Iliade mentionem fecit: in *Odyssæa* memorat Laetrigonas' Gigantibus perfiniles homines, *Ulyssis classem adortos*. Erant hi Italie Siciliaeque Colonii, bellicoli & statuta, robore trucique adspicere ferum quiddam ac terriblem præse ferentes. Ad quem modum Auruncos, qui in iisdem locis, in quibus ab Homero Laetrigones ponuntur, habitaverunt, nobis describit Dionysius Halicarnassensis (L. VI. p. 366.) ut animadvertis Theod. Ryckius (in dissert. ad Lucæ Holsteinii notas & castigationes in Stephanum Byzantium de urbibus Cap. II. p. 410.) Homerum imitator Lycophron, Sithoniis gigantes commemorans, qui non erant alii quam Galli Semones seu Uplandi, qui superiorem Italianam devastarunt, ipsamque Romanum igne deleverunt. (Dalin. c. I. T. I. p. 58.) Sed caveamus nobis a poetis quibus quelibet fingendi licentia est, quique in majus omnia facere solent, ut detrahere de amplitudine rerum, quas commemorant, tuto semper possit. Erat nimis septentrionalibus gentibus bonus corporis habitus, caro solida & densa & cum ipsa coeli temperie roborata membra, nulla victris molitiae enervata. Adsueta præterea erant a pueritia opus facere semperque audere majus annis, rotare faxa, vibrare jactu sudes, saltus agitare venatu, ac vigentibus lacertis humum scindere, & segnem futuris novalibus eruere sylvam. Quæ omnia soliditatis in carne efficiencia sunt & ad distentenda membra apta accensionemque proceritati afferunt, qua vicini suis hos populos præstifile, historici omnes testantur. Magnitudinis hujus mensura capi poterit ex Sidonio Apollinari, qui Burgundiones septipedes cognominare solet. Sed cum ad hunc corporis habitum cultus, nulla humanitatis disciplina formatus & prope ferinus, accederet, non est mirandum hos ab aliis cultioribus populis, pro immunitibus fuisse habitos, non propter giganteam proceritatem, a qua longe aberant, sed ob pelles ferinas quibus induit erant, torvum ac minacem vultum, flagrantem oculos, trucem ac belluinan vocem. Haec erant quæ Marii militibus, in ipsa illa disciplina asperitate, tantam trepidationem injecerunt, ut imperator diu eos vallo continere necesse haberet, juberetque procul consistentes in hostes intuendo adsuescere, ut eorum formam sustinere & vocem tolerare possent

& faciem usitatam redderent. (Polyænus Stratag. L. VIII. p. 558.) Solent enim vi-  
fa, quæ commotio animi vehementior, ex horrore nec opinato orta, in majus  
extulit, ut hæc confidet sif ipsa imminui justæque ac solidæ imagini rei similiora effici.  
Ita Germanorum Staturæ apud Romanos multum detraxit creber cum his populis  
congrellus, ut proceros quidem esse germanos ac in tanta hominum multitudine  
unum esse corporis habitum profiterentur, de immanni vero altitudine eorum deinceps nemo amplius verbum fecerit.

Quod de Læstrigonis seu Auruncis, aliisque populis memoriae vetustæ diximus, de Patagonibus nostræ ætatis, tot sermonibus scriptisque celebratis, intel-  
ligi quoque volumus. Non enim horum, quam illorum colossea statuta exploratori-  
a est. Testes, qui pro ea dicunt, partim quam fint vani produnt ipsi, alii sic variatis  
sententiis testimonium perhibent, ut non immerito omnes levitatis animi vel frau-  
dis coarguere possit. Fidem nostris dictis faciunt, quæ ex narrationibus eorum,  
qui fretum, quod a Magallano nomen invenit, navigando attigerunt, tum Theodo-  
russ Ryckius (Oratione de Gigantibus p. 483. 484.) tum auctor Inquisitionum  
philosophicarum (T. I. 288. seqq. & Defence des Recherches p. 181.) collegit. Non  
exigu nobis momenti Ansonii in hac causa taciturnitas, esse videtur, viri intelli-  
gentissimi & ab omni fingendi libidine alienissimi. Quod igitur Ulyssi in Læstrigo-  
nis, in Cimbris Teutonibusque romanis, id nostris peregrinantibus usu venit in Pa-  
tagonibus, qui ad oras freti illius delati, cum ferino habitu, robustos homines, præ-  
ter communem mensuram paulum evectos, ante oculos sibi positos cernerent,  
existimaverunt gigantes sibi esse viros. Atque id a veritate adeo nihil habet alieni  
ut sine hæsitatione admitti debeat, si Giraldesium, novissimum illarum orarum lu-  
stratorem, anno 1767. eas invisen tem, audias, qui disertis verbis asseverat, se in  
turba ferorum procerioris staturæ hominum, vidisse quosdam septem vel octo pe-  
dibus altos. (Recherches. T. I. 308. 309.)

At vero, nondum satis, quæ adhuc disputavimus, ostendunt, veritati in com-  
memorationibus de populis giganteis, locum non esse. Quantamcumque hæc spe-  
ciam præ se ferant, scrupulstamen semper hæret, qui fiat, ut tot monstroæ ma-  
gnitudinis hominum ossa ubique fere terrarum reperiatur. A Canada enim ad Fre-  
tum usque Magellanicum magna copia effodiuntur. (Recherches T. I. p. 311.) Ac,  
ut prætermis alii ex veterum monumentis, hoc uno utar exemplo; cum Aedes  
**S.** Menæ Constantinopoli repurgarentur, magnahorum multitudo, in ampla quadam  
fossa, sint reperta, quæ Anastasius imperator conspicatus, in palatio, ut rem ad-  
mirabilem, reposuit. (Svidas v. μυρας.) Hæc si inificarer, frontem perficiuisse.  
Invercundi enim est ingenii, in dubium vocare quæ alii, se non opinari sed scire,  
non audiuisse fed vidisse affirmant. Habeo tot testibus fidem quatenus sensa nar-  
rant, ossa nimirum, hominum ossibus minillima, si oculis usurpasse. De eo quod  
inde efficere volunt, ambigo; nimirum hæc esse hominum ossa. Advocationenos  
juvant cum illi, qui proportionis membrorum in corpore humano totiusque commo-  
dulationis, ex qua ratio efficitur Symmetria, periti, accurato instituto examine  
edocti sunt, maximam horum ossium partem animalium brutorum esse reliquias; tum  
ali, qui ne animalium quidem esse semper partes observarunt, sed concreta in terra, vi  
quadam genitali formas saepè mirabiles ac in his tales effingente, quæ nata & hu-  
mano viatu nutrita ossa procedente tempore ita imitantur, ut a veris non possint  
discerni, non uno oblatio indicio, didicerunt. Sic Adalbertus Tylkovsky in Philo-  
sophia curiosa 1680. edita, (Act. Erud. Lat. 1682. p. 150.) demontrat, ex luto  
molli seu merga formari, quæ vel in montibus aliquando reperiuntur ac vulgus cre-  
dit ossa tibiarum, dentes, crania de gigantibus reliqua, vel in littore vistulae non  
procul a civitate Casimiria inveniuntur. Hæc considerans, prorsus nihil absum  
quin credam, ossa, quæ in Siberia, rapiditate fluviorum glaciei pondere aucta,  
denudatis hic illic montium radibus a terra, se conspicienda offerunt, ex hoc na-  
ture quasi ludo, vim suam in occulto varie exferentis, nata & profecta esse. Pro  
Elephantum ossibus habent Sloane (Mem. de l'Academie des Sciences Parisi. 1727.)  
& Auctor des Recherches philos. (T. I. 312. seq.) Quæ cum sint eximiae magni-  
tudinis eaque multum animalium omnium nobis cognitorum superent, uterque putat,  
periuisse ex natura rerum horum animalium genus. Parum vero probabilem satisque  
tutam hanc rationem esse, nostramque ei præferendam putaverim, quam maxime  
loca, ubi ossa haec frequentissime inveniuntur, ut oræ fluviorum in Siberia, Ohiæ  
in America, & vistulae in Polonia, adminiculantur. Hoc enim concessio, quod  
sumunt duumviri, intercidisse, quounque id factum fuerit casu, genera quædam  
animæ-

animalium, non recusare poteris, quin admittas, similia evenire potuisse Cyclopibus, Acephalis, Cynocephalis, vel monstris ex variis diversisque naturis conflatis, qualia sunt Sphinges, Fauni, Satyri, Hippocentauri. Horum enim omnium extantia apud veteres testata est. Acephalos multos se vidisse in inferioribus Aethiopiarum partibus, auctor Serm. ad fratres in Eremo apud Augustinum (T. VI, p. 345.) confirmat. Cynocephalorum memoriam prodidit Herodotus & Ariostes Proconnesius apud Plinium (H. N. L. VII. c. 2.) Et quanquam Cicero queritur quis Hippocentaurum fuisse aut Chimaram credit? (Tulc. Q. Q. L. I. c. 37.) refellitur tamen a Plinio (L. VII. c. 3.) qui Claudi Cæsaris testimonio nixus, refert, Hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die interisse. *Et nos*, inquit, *principatu ejus allatum illi ex Aegypto in melle viamus.* Quod si hujus testificatio dubiae fidei nobis videatur, advocationem praestabit Plinio Phlegon Trallianus Mirabil. (c. 34.) Minotauro huic faciem tribuens humana truculentiore, manus ac digitos ungulas equi more solidas, jubam subfulvam. Dixerit fortasse aliquis, cautione nostra nihil opus esse. Verendum enim haud esse, ne quis in ejusmodi deliramenta nostra ætate incidat, que litterarum luce collustrata acutior scilicet sit, quam ut glaucomate aliquo objecto, dari fibi verba finat, Hunc falli ajo. Adeo enim recens auctor Heinr. Gottl. de Jufli (*In der Geschichte des Erdhörens*, p. 313.) qui minime spernendam esse veterum de talibus monstris, eti nusquam nunc apparent, testantium adseverationem. Ut enim in exulcerato, præjudicatis contra arcana divina opinionibus, animo facile absurdia infident, & damnata semel fide oraculorum divinorum, incredibilia saepè arripiuntur avide ac veris antehabentur, hominesque ejusmodi fibi persuadent facile vel tenuissimæ suspicioneis specie veritatem invictam esse se everfuros; ita noster, postquam sibi proposuit, confixam jam dudum tot veritatis telis, opinionem defendere; gentes fere singulas, singulis parentibus terrigenis originem debere; ut fidem huic opinacioni conciliet, omnes omnino homines non ab Adamo esse factos, cum aliis argumentis utitur, tum hac commemoratione veterum de monstris quibusdam populis, qua vincat, quam parum probanda sit nostra sententia de uno generis humani stirpe. Ita enim necesse esse, quod absurdum sit, ut homines, quos forma nobis diffimillimos fuisse totoque genere discrepasse constat, ad unum nobiscum commune caput referamus. Quam sententiam hoc putat confirmari posse amplius, quia infinita sit in naturæ effectiōibus dissimilitudo. Sed in his vanus utique & futilis est auctor. Etsi enim infinita prope est operum divinorum varietas, eam tamen descriptam suis generibus fixamque, cum in animalibus brutis, tum in hominibus cernere licet, nec uni generi vel quibusdam tantum consulere, sed universa curare deum, ac sic providere complexioni rerum, ut singularum formas conservet, a sapientibus semper creditum fuit. A qua sententia recedere, quatenus aliae rationes suppetunt nodis extricandis aptæ, nobis sit religio.

Atque hæc ita animis fixa immotaque semper hæsit, ut qui colosseos olim populos crediderunt, eos præter naturam extitisse & in monstris esse censendos, consenserunt quodam docerent. Ex hoc enim sensu profecta est fabula quæ ortum gigantum, ex turpi angelorum quorundam cum formalissimis fœminis commercio, repetit. Cujus auctor platonizans Judæus esse videtur, eam alius commendans commentatio Henochi libro, de Angelis Egregoris. Fragmentum ejus descriptum Jof. Scaliger in Notis ad Eusebii Chronicam (p. 244.) idemque auctum repetit Fabricius (codice Apocrypho V. T. T. I.) ac γνωστοῖς uindicem nactum est Pompejum Sarnelli libro; *Annotacioni sopra il libro de gli Egregori Venet. 1710.* Sequuti sunt hunc doctorem magno agmine & Judei (Josephus Antiq. L. I. c. 4.) & ex Christianis Irenæus, Justinus, Tertullianus, Athenagorus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Eusebius, Lactantius, Methodius apud Epiphanius, Ambrosius, Sulpitius Severus, cuius verba (L. I Hist. c. 3.) subjiciamus. Ea inquit, *tempestate cum iam humana genitio abundaret, Angeli, quibus celum sedes erat, speciosarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt, ac natura sua originisque degeneres, relitis superioribus, quorum incole erant, matrimonio se mortalibus miscuerunt.* Hi paulatim mores noxiuos conserentes humanam corrupere progeniem, ex quorum coitu gigantes editi esse dicuntur, cum diversa inter se naturæ commixtio monstra gigneret. Tot Christianorum doctoribus Augustinus, & Judeorum Philo cautor est, cuius sententiam, cum a multis ea sinistre accipitur, accurate expqsum Thomas Crenius. (Fasce II. Exercit. philologico-historic. p. 77 - 79.) Insufficientem libellum Philonis de gigantibus, non potest esse obsecurum, auctorem, quæ in Scriptura de gigantibus commemorantur, omnia ad alle-

allegoriam convertisse. Sunt apud Suidam, qui, ut ille, monstri aliquid alere gigantes decernant, et si angelorum opera ad eorum generationem non utatur. Proborum semen cum improborum feminine confusum, non putuisse non portenta giguerre, sibi perfluident. Alter facinoris hujus auctores facit filios familiarium deo consecratarum (ο μαρτυρίους) Sethi, inquit, Enochi & Enos filii, dei filii intelligentur, qui vici libidine ad filias Caini sunt ingressi. Unde orti gigantes, propter iustum, robusti & maximi; propter iniquum & profanum, improbi & pessimi. Alter (ο λαμβάνω) nefandorum conjugorum initia a Caini progenie ducit; Caini, inquit, genus execrabilis est, Sethi benedictum. Neque voluit Deus cum iustorum genere, genus impiorum communisci sed deleri. Cum itaque & cedes facerent & occisorum uxores ducerent, ingentia monstra Gigantes sunt exorti, ob quos diluvio sunt extinti omnes.

Nec aliter de hominibus praegrandibus sicubi occurunt, sentiunt sapientes naturae scrutatores, ac praeponere in his naturam agere adversusque scedula sua niti, certis nixi argumentis judicant. Animadversum enim est, efficientiam naturae, in his effingendis ad explicitam summamque formam contendentem, quasi impar sit tantis nixibus, aliqua parte deficere solere, ut vel quedam corporis membra imperfecta ac rudia, collata ad alia, elaboret, vel debilitatem virtutem, aut lacertorum aut animi reddat, inertemque hominem efficiat. Itaque haud obscurum graecorum convictione, Αὐτοὶ μέγες, Amens qui longus (Erasmus Adag. p. 589.) hujusmodi homines falibusque exigitur, nisi in promptu ferant, quibus hominum mens & cogitatio alio traducatur. Prope enim omnes sibi perfrudent, in ea mole grandi & exaggerata tenuerit esse vulgo iudicium & angustam prudentiam. Morbis hunc impetum naturae, preter modum se explicantis, accentet Cattius, acutissimus caufarum naturalium indagator, (Allgemeines Leipzig Magazin, T. IV. p. 350. seqq.) quem Rachitin vacat. Textura enim partium nostri corporis, quae quam late patet principio mollis est, ut facile cedat, seque ad novitas ex nutrimentis partes aequaliter porrigit atque explicet, procedente tempore rigorem in extremitibus contrahit, auctusque impatiens fit, Atque sic finitur progressio magnitudinis corporis. Quo diutius haec molliudo partium durat, hoc amplius fieri corpus vel altitudine vel crastitudine posse, intellegitur. Cum vero in praelongis raro aut nunquam partes omnes aequo temporis spatio hunc statum teneant ac plerumque, tum haec teneritudinem conservant, aliae in extremis oris siant durae, id consequi necesse est, ut consensio partium inter se & concinnitas perturbetur, ac monstrosa tandem forma exigit. Haec Catetus non primo excogitavit acute, sed eadem Plinio jam sunt observata, quem de hac re disputantem audire juvat. Ita vero ille (L. VII. H. N. c. 17.) Invenimus in monumentis Salamine Euthymenis filium, in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem, & jam puberem factum voce robusta, absumentum contractione membrorum subita, triennio circumacto. Ipsi non pridem vivimus eadem fere omnia, preter puberatatem in filio Cornelii Taciti Equitis Romanii Belgice Gallicae rationes procurantur. Επτάπλοις (i.e. faedos, monstruos, prodigiis incrementi) Graeci vocant eos: in Latio non habent nomen.

His rationibus efficitur, populos familiasque integras giganteas statuas, rerum naturae adversari. Monstra enim propagata sbole carent, nec corpus vito morboque affectum ordine quodam constante & continuo formam suam & adseptionem ad posteritatem propagare solet. Neque haec asseveratio a Scriptura S. coarguitur, quae populorum quorundam excellentiam a magnitudine commendat. Si enim haec verba auctorum Sacrorum ad historicas veritatis rationem de corporum celsitate, exigere velis, ab eorum mente alienum eis subiecties sensum falsumque esse eum convinceris. si vero ad reipublicae florentem conditionem, robur, opesque referas, quae in insignem amplitudinem exceferant, rectius de his arbitraberis nihil que verius dictum esse reperies. Hoc supra a nobis jam fuit animadversum, quod tanto nunc rectius ad locum insignem Amos II. 9. accommodabimus, ubi Amorrei tales perhibentur, qui & procerit Cedros & robore cequarunt robora; quanto certius est, grandiorum interdum esse vatum cothurnum exaggerationesque in eorum concionibus frequentiores.

Quia autem affirmare; vix unum posse proferri, qui proprietate nec communi tantum hominum sermone, qui indifterior est, gigas dici mereatur. Quemadmodum in universa rerum natura, tametsi una eademque est, non tamen temper & ubique contingunt similia; ita cum una eademque est natura hominis cujusquam, non tam-

men

men semper eodem modo agit. Gellius jam animadvertis; (L. III. c. 10.) adolescendi humani corporis modum summum esse septem pedes. Idque observatione perpetua confirmatur, providam naturam, in plerisque regionibus intra sex aut septem pedes, hominem continere, in nonnullis ad totidem cubitos producere. Ab hac tamen regula, sed raro, in utramque partem deflectit. Interdum peregrina mensura finit humilem corporis constitutionem, ut nanos & pumiliones progignat. Augusto principe, minimus homo duos pedes & palmum, Canopus nomine, in deliciis Julie nepitis fuit: & mulier Andromeda liberta Julie Augustae. Manum Maximum & M. Tullium equites romanos, binum cubitorum fuisse, auctor est Varro: & ipse, inquit Plinius (L. VII. c. 16.) vidimus in loculis assertatos. Sesquipedales gigii, quosdam longiores, in trimatu impletentes vitæ cursum, haud ignotum est. Tranquillus in Augusto (c. 43.) de hoc narrat, exhibuisse eum populo, adolescentulum Lucium: qui erat bipedali minor librarium septendecim ac vocis immensæ. Pygmæos hic commemorare nihil attinet, quorum existentiam Aristoteles quidem satis probatam dedit, de quibus vero nunc constat, non esse homunciones, sed bruta ac simiarum quandam formam (v. Eduardi Tysoni Pygmæianatomie in Act. Erud. Lat. 1700. p. 507.)

Aliquando contrarie procedit natura ac hominis staturam in excellentiorem communis altitudinem excitas, oculos ferit nosque in sui contemplationem evocat. Quaecunque vero hujus molitionis exempla vetustutis memoria nobis reliquit, ea inframensionem Gigantis sunt, quam Buffonius, duplicatae hominis ordinariae staturæ respondere statuit. Phya celebrata antiquitat foemina, quæ proceritatis dignitate conspicua & in Minervæ formam habitumque formata, hoc artificio Pistrifratum Athenis reduxit, magnitudine quatuor cubitorum erat, tribus digitis minus. (Herodotus Clio p. 12.) Porus humanæ magnitudinis propemodum excederat formam. Nam quinque cubitos longus erat, crassitudine autem tanta, ut lorica ejus duplo excederet loricas aliorum, qui vobore excellerent. (Ex Diodoro Simoni in Chronico Catholico ad annum 3679.) Et Columella (de re rustica L. III. c. 8.) M. Tullius Cicero, inquit, testis est, Romanum fuisse civem Nævium Pollionem, pede longiore quam quemquam longissimum. Addit; Numeri ipsi videre potuimus in apparatu pompæ Circensis Ludorum, Judæi gentis hominem proceriorem celerrimo germano. Quem Tiberio Judeum Arrabanus cum aliis munieribus misit, is quinque erat Cubitorum, propter vastitatem gigas cognominatus. (Josephus Antiq. L. XVIII. c. 6.) Magnus ille Arabs Gabbara qui Romæ vivebat tempore Claudi, longitudine fuit novem pedum ac totidem unciarum. (Plinius L. VII. c. 16.) De Maximino ex Capitolino (Maximus c. 6.) constat, hunc fuisse pedem octo & prope semis. Inde Caliga Maximi in proverbium abiit. Scaliger multos se vidisse novenorū pedum & Mediolani juvenem tantæ proceritatis, ut stare non posset ac jacens, duos lectos simul junctos impleret. In historia sacra, commemorabilis in primis magnitudine Oggus est, regionis Basanæ Rex. Si Judæos audias, ab ejus dente, qui immensæ magnitudinis contra Israëlitæ pugnanti succrevit, regio Basan fuit dicta, (Wagenfeil ex Berachot ad Sotam p. 274.) Idem auctores sunt, qui tradant, lectum Mosi (Deut. III. 11.) memoratum, cunas fuisse Regis, qui ætate tanta incrementa coepit, ut pes solus cubitorum esset CXX. non communium sed giganteorum. (Vossius de Idolo: L. I. c. XXVI. p. 190.) Saniora narrat Moses; fed sensum ejus non assequuntur, qui putant, scriptorem sacrum, Regi parem cum lecto longitudinem tribuere. Constat enim cubilia in lautiore aliqua conditione politorum, maxime regum & principum, amplioris formæ fuisse, quam pro corporum habitu. Quodsi igitur duos minimum cubitos mensurae lecti detrahamus, efficietur Oggum septem circiter cubitos, five decem cum semis pedes implevisse. Regis hoc exemplum, quod illa ætate pro miraculo erat, ut ad ejus memoriam perpetuandam lectum ejus conservarent Israëlitæ, ostendit, quam vani fuerint exploratores terræ Canaan, fuis popularibus renuntiantes, se vidisse ibidem de genere gigantium, cum quibus collati ipsi, sibi locustæ esse viderentur. Manifestos mendacii nebulones hos tenemus, larvis diffidentem populum terrentes. Proxime ad Oggum proceritate accedit Goliathus, quem Samuel (Lib. I. c. XVII. 4.) sex cubitos & spithamam, five novem pedes cum digitis duodecim altum fuisse, perhibet. Ex recentiori historia nullum exemplum

emplum occurrit hominis, qui justam gigantis mensuram impleverit, nedium superaverit. Nisus naturae in infantibus multis ad fastigium illud quidem nitens, sed ad irritum cadentis, collegerunt Commentaria Acad. Scient. Parif. (1736. p. 55. 1739. p. 1. 1741. p. 21.) ac memorabile est in primis prodigium Willinghamenfe in Transact. Anglic: (1745. N. 475. Art. II.) descriptum. Hic trium annorum puer, tres pedes cum octo digitis exæquans, quarto aetatis, absolutæ fere stature homo, fato concessit, cum tantæ incitationi impar & præpropera celeritate fatigata natura, eum destitueret. Si, quod veteres lescunt, quantus triennis deprehenditur puerulus, bis tanto est evafurus procerior, compos factus plenitudinis augmenti aut certe denuo tantus, (auctor Homilie in Hexameron apud Basiliū p. 38.) recte se habet, ex trimatu hujus pueri de futura magnitudine, si progressio incrementi morte haud interrupta suiset, conjectura fieri poterit.

Nihil moramur exempla hominum giganteam staturam excedentium, quæ apud veteres passim commemorantur. Quis enim credit Tigennitis, Antæ corporis molem hexaginta cubitos æquasse. (Plutarchus in Sertorio T. II. p. 1045. edit. Steph.) Tingitani enim fallacis toti constabant, quibus cum Procopius (de Bello Vandalico L. II. c. 10.) fidem haberet, deceptus ipse, alias multos narratione sua inepta de Columnis, inscriptione hac phœniciæ insigntis, fugitivos esse a facie Jofue τελαντε, in errorem induxit. Neque fidem faciet alio portento Plinius (L. VII. c. 2.) & Solinus (c. 1.) in Creta, rupto monte, inventum esse corpus stans XLVI. cubitorum. Ad quod alia multa esse conficta, facile intelligitur, ut corpus Palladis filii Evandri, quod Romæ Heinrici III. Imper. Germ. aetate repertum, tantæ erat proceritatis, ut erectum urbis Romæ moenia superaret. (Centur. Magdeb. Cent. XI. ex Martini Chronico) Item quæ Bocazius & Thomas Facelius de invento cadavere in Sicilia ccc pedum narrant. Quibus similia plura dabit Ryckius (de gigantibus p. 473. 474.) Unius tantum conlïderationi paulisper inhæreamus, non, quo veritati id propius fit fidemque apud rerum intelligentes majorem invenire posfit, sed quia viri quidam ingeniosi & acuti se credulos huic prabent. In Delphinatu anno 1614. sepulchrum, ut fama ferebat & titulus docebat, Teutobochi Regis repertum fuit, in quo hominis ossa XXV. pedum longi cum semifle compolita erant. Hæc esse Regis Cimmeriorum tum creditum fuit regique ipsi Ludovico XIII. perfusum. Meminit hujus regis Florus (L. III. c. 3.) his verbis: *Certe Rex ipse Teutobochus quam fugeret — proximo in saltu comprehensus insigne spectaculum triumphi fuit, quippe vir proceritatis eximiae super trophya ipsa eminuit.* Hoc superioris faculi commentum indignum est, quod defendatur vel a Torrubia (l. c.) vel a Catto (l. c. p. 308.) emanctæ naris viro. Eruditus profecto Franco Gallo in patria versanti turpe est, nescire, quot libellis Bassotus totius fabulæ artifex, fraudis fuerit convictus, quos omnes recenset Prosper Mar chand. (Dictionnaire historique Art. Bassot.) Eaque ipsa que in commentatione sua posuit, vir egregius, admonere illum potuissent, haec ossa Teutobochum mentiri. Trophya enim Romanorum, ut ipsa ex Montefalconio nos docet, XIII. pedes alta erant, ossium vero compages XXV. in longitudinem protensa erat. Ac vix credibile est cogitatum, Florum, ad exaggerationem pronum, verbis in designando hoc spectaculo, uti voluisse, minus quam pro rei amplitudine significantibus, si, quod ossa inventa demonstrant, altero fere tanto Teutobochus tor pheis excelsior fuisset.

Sed scriptio de corporum humanorum molibus, ne ipsa in molestam molem exeat, modus hic est signendus, significantumque cuius rei gratia omnis hæc disputatione est instituta. Magnificum Patrum Patriæ Concilium vulneri, morte b. Gottlieb Wernsdorff Athenæo nostro inficto, medicinam gratiosissime adhibuit, subrogato in defuncti locum, Viro clarissimo & doctissimo Carolo Benedicto Coack. Qui postquam a Magnifice Senatu Professor Eloquentiae & Poeseos in Athenæo nostro est dictus, ejusdem nunc iussu atque auctoritate, a me Rectore est solenni ritu inaugurandus. Ita vero noster rationes vitæ suæ nobis exponit.

Natus

Natus est CAROLUS BENEDICTUS COSACK  
anno hujus seculi sexto & quadragesimo, XVI. Kalend. Novemb. Pa-  
triam colit Gedanum, ubi pater GEORGIVS FRIDERICVS COSACK  
per XXXVI. annos magna cum doctrinae & sanctitatis laude sacra fe-  
cit, qui in matrimonio habuit BARBARAM SCHAFFTIAM, mer-  
catoris honesti filiam. Tirocinia literarum posuit in schola urbana, quae  
est ad aedem D. Marice florentissima: quam egressus, annos vix na-  
tus quatuordecim, cum ad uberiorum scientiae & bonarum artium  
frugem animum discendi cupidum adverteret, in Gymnasium transiit,  
ejusque doctores celeberrimos, BERTLINGIUM, PAULUM, SENDE-  
LIUM, HANOVIIUM, WERNSDORFIUM, GRODDECKIUM,  
LESSIUM audire coepit, quorum disciplina & institutis discendo &  
exercitando per quinquecentum usus est, haud minori cum delectatione  
quam incremento. Anno sexagesimo quinto, cum ad altiora doctrina-  
rum studia bene preparatus videretur, idque indicis quibusdam &  
speciminibus comprobasset, praesertim dissertatione, quam b. Bertlin-  
gio adjuvante edidit & defendit de Regno Christi ejusque doctrinae usu  
in loco de s. coena, Octobris mense Vitebergam petiit, ubi civitate  
academica donatus, in scholis corum, qui sanctioris doctrinae &  
bonarum litterarum laude præcellebant. S. W. Weickmanni in primis,  
Wernsdorpii, Titii, Wilkii, quam potuit diligentissime profecit.  
Mensibus ibi octodecim exactis, & studiorum ratio, & corporis con-  
tinuo morbo afflitti debilitas suaferunt, ut Lipsiam se conferret quam  
propter cultorem vicendi rationem & loci hilaritatem, maxime vero  
ob insignem elegantiorum literarum famam præ ceteris eligendam  
existimabat. Nec unquam hujus eum consilii poenituit. Etsi enim  
corpus, quo laborabat, vitio non omni liberaretur, discendi tamen  
studium in dies crevit, & optimorum virorum præceptis auctum, &  
illustribus æmolorum exemplis. In primis autem studiorum suorum  
rectorem ac ducem sibi elegit S. V. Ernestum, virum incomparabilem,  
cuius singulari doctrina & humanitate ita captus & delectatus est, vt  
ab ejus ore nunquam nisi humanissima voluptate delinitus discederet.  
Quare scholis ejus omnibus assiduus auditor interfuit, sive cum scri-  
pturas divinas interpretaretur, vel theologorum dogmata tradaret,  
sive cum historiam & autores antiquos exponens ipsos humanitatis  
& elegantioris doctrina fontes aperiret. Neque vero aliorum hujus  
academicae doctorum coetus frequentare noluit: in doctrina morum  
audivit Crusum, græcas literas Moro dedit magistro, hebraica-  
rum notitiam auxit duce Babrdio juniore: in historia recentiore  
secutus Bohmum; ad humanitatem et ingenii elegantiam eruditus a

FK III 37 X 316 9320

b. Gellerto, Cludio, Reitzio, viris elegantissimis. Decurso studiorum academicorum studio, cum in patriam redisset anno septuagesimo, mense Junio; omni cura in id intentus fuit, ut alios erudiendo usui communi prodeisset. Nec eventu caruit hoc consilium. Postquam enim concionibus sacris freqventer habendis & scholis domesticis juventuti aperiendis voluntatem suam & officium Urbis Patribus probasset, anni sequentis Octobri mense ab Amplissimo scholarcharum Collegio scholæ S. Joannis templo contiguae Rectoris loco est praefectus. Inde jam in altiorem dignitatis gradum elevatus, cum in eo sit, ut eloquentiae & poesos professionem ritu solemnii sibi deferendam suscipiat; id unum maxime propositum animo habet ac constitutum, ut quantum viribus possit contendere, utilitati communii inserviat, & patriæ, quam pie sanctissimeque veneratur, se praestet utilissimum: quem quidem animum sibi inesse, non solum aditiali oratione Patrie patribus declarabit, cum de usu veterum auctorum in excitandis ad pietatem animis verba faciet, sed ut re ipsa palam & aperte monstretur, omnem dabit operam.

Habebunt, ut confidimus, Proceres Urbis omnesque litterarum & Athenæi nostri Patroni ac Fautores, hunc nostro honorent, ut frequentes huic auctui interfici, quod, et si judicio suo & voluntate facturos speramus, eos tamen quæ decet veneratione ac observantia totius Collegii Professorii nomine penitus orrogoque.

P. P. Dom. VII. p. Trin. d. 17. Julii. Anni MDCCCLXXIV.



De gigantibus et populis gigantibus.

II h  
34

QUOD. DEUS. OPTIMUS. MAXIMUS. FELIX. FAUSTUMQUE. ESSE. JUBED.

REPUBLICÆ. ET. ATHENÆO  
 MAGNIFICI. ATQUE. AMPLISSIMI  
 SENATUS. GEDANENSIS  
 AUCTORITATE  
 ELOQUENTIAM. ET. POESIN.  
 DOCENDI. PROVINCIAM  
 IN. ATHENÆO. NOSTRO

V I R O  
 CLARISSIMO. ET. DOCTISSIMO

**A R O L O  
 N E D I C T O  
 O S A C K**



MINISTERIL. I. A. C. REVERENDO  
 AUDITORIO. MAXIMO

D. XIX. JUL. A. C. MDCCCLXXIV.

NNI. RITU. TRADITURUS.

URBIS. HUJUS. CONSCRIPTOS  
 BONARUM. LITTERARUM. FAUTORES  
 EST. REVERENTIA. CULTU. STUDIOQUE

INVITAT

RO. STUDIIS. IN. ATHENÆO. INGENUIS. OPERANTEM.  
 PERAMANTER. CONVOCAT.

S. PAULUS. VERPOORTENNIUS

OL. D. ET. PROF. PUBL. ATHENÆI. RECTOR

D. ÆDEM. S. S. TRINITATIS. PASTOR.

G E D A N I,

H. SCHREIBERI. SENATUS. ET. ATHEN. TYPOGRAPHI.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
 7  
 6  
 5  
 4  
 3  
 2  
 1  
 Centimeters

1  
 2  
 3  
 4  
 5  
 6  
 7  
 8  
 9  
 10  
 11  
 12  
 13  
 14  
 15  
 16  
 17  
 18  
 19  
 Inches